

das Kapitel 28 des *Opusculum LV capitulorum*. Dieser Hinkmar-Auszug stellt sich als *fons formalis* für den ersten Teil des eben erwähnten libellus Bernhards von Hildesheim heraus; Bernhard zitiert Hinkmar oft wörtlich, aber ohne Quellennachweis.

Bernhard, *De damnatione scismaticorum II*

[31.3—20] Sunt quidem duo iudicarii ordines, ut duo precepta, ut duo peccandi genera, unum scilicet in Deum, alterum in homines: ut duo adventus Domini, unus occultus, alter manifestus, unus de quo scriptum est: „descendet sicut pluvia in vellus“ (Ps. 71, 6); alter de quo scriptum est: „Deus manifeste veniet“ (Ps. 49, 3). De priori igitur iudiciario ordine dicit apostolus: „Si quis frater nominatur fornicator“ et cetera (1. Cor. 5, 11), „eam nominationem intellegi volens“, ut dicit Augustinus in libro de poenitentia, „quae fit in quemquam cum sententia ordine iudiciario. Nolu- it enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesie, sive ultro confessum, sive accusatum atque convictum.“ (Sermo 351, 10)

Hunc autem ordinem qualiter procedere et tractari oporteat, describit beatus Gregorius in commonitorio ad Iohannem defensorem euntem in Hispanias decernens et catholicum statuens, ut considerata causarum qualitate alii sint accusatores, alii testes, et ut presente accusato sub iureiurando dicatur testimonium scriptis alligatum, et accusatus respondendi et defendendi se locum habeat, et examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter fiat. Hunc etiam iudicarii ordinis modum Dominus innuit, cum in resurrectione puellę in domo iacentis mortuę, ac si

Hinkmar, *Opusc. LV capitulorum* 28, hg. Sirmond, 2, 498-9; Migne PL 126, 400D—401C; Schlettstadt Hs. 13

[147v] Et quia sicut duo sunt peccata et duo sunt genera peccatorum, aut enim in Deum peccat homo aut in hominem; et duo sunt adventus Domini qui venit peccatores salvos facere — „omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei“ (Rom. 3, 23), unus occultus et alter manifestus; unus de quo scriptum est: „sicut^a) pluvia in vellus“ et alter de quo scriptum est: „Deus manifeste veniet“ . . . Ita sunt duo iudicia, unum occultum et alterum manifestum, et duo sunt iudicarii ordines, unus de quo dicit apostolus: „Si quis frater nominatur fornicator“ et cetera, „eam nominationem intellegi volens“, ut dicit Augustinus in libro de poenitentia, „que fit in quemquam cum sententia ordine iudiciario et cum integritate profertur. Nolu- it enim hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicio- nis vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem ecclesie, sive ultro confessum sive accusatum atque convictum. . . .“

Qui ordo iudiciarius qualiter exequi debeat beatus Gregorius in commonitorio ad Iohannem defensorem euntem in Hispanias dicit. „Videlicet ut alii sint accusatores et alii testes, deinde causarum qualitas,^b) et ut presente accusato sub iureiurando dicatur testimonium scriptis alligatum, et accusatus respondendi et defendendi se locum habeat, et examinatio personarum accusantium ac testificantium regulariter fiat.“ (Registrum XIII. 47, JE 1912)

Quem iudicarii ordinis modum etiam Dominus innuit, cum in resurrectione puellę in [148r] domo iacen-